

*prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Certe si lege aliqua non tenerentur ad cavenda talia opera, propter illa non amitterent regnum Cælorum; et alia ejusdem loci verba statim ponderabimus.

21. *Tertia objectio hæreticorum ex loco ad Rom. 6. — Esse sub lege hoc loco idem est ac esse sub imperfectione legis scriptæ obligantis subditos, non vero adjuvantis.*—Tertium testimonium hæreticorum est illud ad Rom. 6: *Non estis sub lege, sed sub gratia*; quæ verba secundum se spectata easdem possent habere interpretationes, sed juxta planum contextum alius est sensus illorum facillimus: nam sine dubio loquitur Paulus de lege scripta: et esse sub lege non solum ibi significat esse sub obligatione legis, quamvis hoc etiam includat, seu supponat: sed specialiter exprimit esse sub imperfectione legis præcipientis, et non juvantis. Docuerat enim Paulus, baptizatos omnes mortuos esse a peccatis in Christo; unde illos admonuit: *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediat concupiscentiis ejus*; et infra: *Peccatum enim vobis non dominabitur*; et ne hoc illis difficile videretur, pro ratione adjungit: *Non enim estis sub lege, sed sub gratia*; ac si diceret, non enim estis in statu in quo lex præcipiebat non concupiscere, et non juvabat, sed estis sub gratia, quæ interius ad id servandum movet, et exterius juvat.

22. Sic Chrysostomus ibi homil. 11, et Theodoretus ac Theophyl. aiunt: *Corpus nostrum ante Christi adventum facile a peccato capugnari potuit, neque enim spiritus aderat qui succurrere, neque Baptisma, quod mortificare posset, etc., lex erat jubens tantum, nihil tamen auxilii afferebat: gratia vero et priora peccata remittit, et ad futura nos munit.* Est etiam expressa sententia Augustini lib. de Contin., c. 3, dicentis: *Non sumus sub lege bonum quidem jubente, non tamen dante; sed sumus sub gratia, quæ id, quod lex jubet (utique quoad moralia) faciens nos amare, potest liberis imperare: et libr. de Grat. et liber. Arbitr., cap. 12: Non enim estis sub lege, sed sub gratia, non quia lex mala sit, sed quia sub illa sunt, quos reos facit jubendo, non adjuvando; gratia quippe adjuvat, ut legis quisque sit factor, sine qua gratia, sub lege positus, tantum erat legis auditor.* Eandem expositionem sequuntur Anselmus, Beda, Adam, Cajetanus et bene Tolertanus Pereira. Item noster Salmeron in Epistola ad Rom., cap. 6, disput. 4; nec occurrit

difficultas ulla. Mirumque est quod hæretici abuti audeant hoc loco, cum Paulus statim quasi respondens eorum impudentiæ, subjungat: *Quid ergo peccabimus, quoniam non sumus sub lege, sed sub gratia? Absit.* Et similem sententiam habet in principio capituli, et in fine concludit: *Stipendium peccati mors; gratia autem Dei vita æterna*; constituendo ergo fideles sub gratia, et non sub lege scripta, ejusque imperfectione, non dicit esse immunes ab omni lege, aut peccata eis non imputari, si ea committant; sed eos excitat ad peccata vitanda, quia gratia Dei potentior est illis.

23. *Quarta objectio hæreticorum ex variis locis novi Testamenti.*—Quarto objiciunt hæretici illa testimonia, in quibus libertas legis gratiæ commendatur, ut Galat. 2, 4 et 5, 2 Corinth. 3, Jacobi 1 et 2, quæ testimonia volunt intelligi de libertate ab omni legis obligatione. Hæc vero falsa explicatio specialiter destruit veritatem legis gratiæ, quam infra libro 10 specialiter defendemus, et hunc errorem expugnabimus; et ideo nunc breviter respondemus, imprimis ex illis locis colligi non posse, in eis esse sermonem de libertate ab omni lege, quia hoc in eis non dicitur, sed generatim est sermo de libertate, et aliunde sensus est tam absurdus, et tam contrarius omni rationi et pietati, et aliis Scripturarum testimoniis, quæ docent obligari fideles ad vitanda peccata et ad honeste operandum, ut statim per se sit incredibile tale commentum. Deinde addimus, quod libertas multiplex esse potest, et a servitute peccati, et a servitute timoris, et a reatu pœnæ et cujuscumque mali, et a legis obligatione, et vel in particulari unius legis, vel generaliter omnium: ex quibus omnibus hæretici hunc postremum sensum eligunt. Dico autem ex eisdem locis aperte constare, non in hoc sensu sumi libertatem Christianam, sed in aliquo ex aliis.

24. *Expenditur locus Pauli ad Galat. 2, in quo Apostolus loquitur de libertate a lege veteri a qua liberi Christiani.*—Nam ad Galat. 2 verba sunt: *Subintroierunt explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo Jesu, ut nos in servitutem redigerent*: constat autem evidenter ex his quæ in eodem capite sequuntur, servitutem illam, ad quam fratres illi subintroducti volebant Christianos redigere, fuisse observationem legis Moysi, quia cogebant Christianos judaizare; ergo libertas illa quam habemus in Christo Jesu, prout de illa est sermo in illo loco, solum est libertas a jugo et obligatione legis Moysi, ut bene explicat

Salmeron ibidem. In cap. autem 4 ejusdem Epistolæ verba sunt: *Itaque fratres non sumus filii ancillæ, sed liberæ, qua libertate Christus nos liberavit*; quæ verba sunt conclusio totius discursus, præcipue ab illis verbis: *Dicite mihi, qui sub lege vultis esse, etc.*, quam ostendit fuisse legem servitutis, et ideo populum, cui data est, significatum esse per filium ancillæ; ergo aperte loquitur de libertate populi Christiani, quam habet a jugo, et servitute illius legis. In cap. autem 5 verba sunt: *Vos in libertatem vocati estis fratres.* Statim vero declarat qualis sit hæc libertas adjiciens: *Tantum ne libertatem in occasionem detis carnis.* Non est ergo profana libertas, quæ omne jugum legis auferat, et licentiam præbeat quidlibet operandi; sed est libertas spiritualis, qua fit ut Spiritu ducamur, et non simus sub lege, ut statim dicitur, et jam explicuimus.

25. *Explicatur locus Pauli 2 Corinth. 3, de libertate a velamine obæcationis, vel a servitute legis.*—At vero 2 Corinth. 3 verba sunt: *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas*; quæ secundum se sumpta possunt optime exponi de libertate a servitute peccati, et de libertate ab spiritu timoris servilis, et de libertate a lege veteri: nam Spiritus sancti gratia et motio ab omnibus his oneribus, seu dominis nos liberat. Prout vero in illo loco dicta sunt a Paulo, intelligenda videntur de libertate a velamine obæcationis, et duritie cordis, et possunt extendi, simulque intelligi de libertate a servitute legis veteris. Dixerat enim: *Usque in hodiernum diem cum legitur Moyses, velamen positum esse super cor Judæorum*, ut scilicet, non videant testamentum illud jam esse evacuatum; et addit velamen illud esse auferendum ab illo populo: *Cum conversus fuerit ad Dominum*, et subdit: *Dominus autem Spiritus est, et ubi Spiritus Domini, ibi libertas*, utique ab illo velamine: nam Spiritus Domini est qui liberat a jugo legis, sicut alibi dixit: *Si Spiritu ducimini, non estis sub lege*: et ideo idem Spiritus Domini, qui talem dat libertatem, dat etiam lumen ad cognoscendam illam, ac subinde aufert velamen quod veritatem illam occultabat, et ideo concludit: *Nos autem revelata facie gloriam Dei speculantes, etc.* Quod totum unico verbo eleganter complexus est Chrysostomus, homil. 7, dicens: *Libertatem autem dixit, habita ratione pristinae servitutis*; et ita intelligunt omnes catholici scriptores: neque est cur libertas spiritus intelligatur esse ab omni legis obligatione: quia nec Paulus hoc dicit, nec pertinet ad perfectionem, vel

dominatum Spiritus: nam in Angelis, et Adamo, et in omnibus justis fuit Spiritus, et in illis non fuit talis libertas, unde potius repugnat perfectioni et sanctitati, ac dominationi divini Spiritus.

26. *Expenditur locus epistolæ Jacobi de lege libertatis, id est, charitatis.*—Loca autem Jacobi 1 et 2, contra ipsos hæreticos vincunt: nam in cap. 1, illam quam vocat legem perfectæ libertatis, supponit esse veram legem obligantem ad opus, et ideo concludit illum fore beatum, qui in ea permanserit, et fuerit *factor operis*, id est, qui illam servaverit. In cap. autem 2 significat, per legem illam libertatis esse homines judicandos: *Sic loquimini*, dicens, *et sic facite, sicut per legem libertatis incipientes judicari*: videtur autem loqui de lege charitatis quam paulo antea regalem vocaverat: supponit ergo aperte Christianos esse subjectos legi. Cur autem illa vocet legem perfectam, regalem, et libertatis, in libro ultimo, de lege gratiæ disputando, dicitur.

## CAPUT XX.

AN IN LEGE FIERI POSSIT MUTATIO, ET QUOTUPLEX ILLA SIT.

1. *Prima assertio.*—*Lex indefinite lata non mutatur ob solam temporis durationem.*—Explicata natura legis, et omnibus causis, et effectibus ejus, solum superest dicendum de mutatione legis. Verumtamen, quia hæc proprietas non est communis omni legi, ideo melius tractabitur de singulis in particulari, in eis declarando, an modum aliquem mutationis admittant. Hic ergo solum præmittemus quasdam generales regulas, et explicationes terminorum, ut facilius sit postea doctrina in singulis legibus. Primo igitur supponimus ex dictis, legem indefinite latam de se non mutari, neque ejus obligationem cessare propter solam temporis diurnitatem, si alia causa mutationis non interveniat. Probatur, quia lex de se perpetua est: ergo propter solam temporis durationem non mutabitur, nisi aliunde tollatur. Dices: aliquando lex involvit, seu præscribit certum terminum suæ obligationis. Respondetur primo, ideo locutos nos fuisse in assertione de lege indefinite lata. Secundo addimus, illud solum habere locum in aliqua lege positiva, et rarum esse, et quasi præter naturam perfectæ legis, ut supra dictum est, et ideo simpliciter affirmari posse, moraliter loquendo, non cessare propter so-

lam temporis diurnitatem. Eo vel maxime, quod cum lex esse debeat rationalis et justa, nunquam præscribet certum terminum suæ durationis, nisi quia in illo termino, seu fine temporis cessabit vel justitia legis, vel potissima ratio, quæ movit legislatorem ad ponendam illam, et ita nunquam oritur proprie mutatio ex solo temporis decursu, sed ex aliqua alia mutatione, quæ cum illo conjungitur.

2. *Secunda assertio.*—*Mutationem legis dupliciter accidere posse, vel per defectum causæ conservantis, vel per actionem contrarii agentis.*

— Secundo, dicendum est mutationem legis dupliciter accidere posse. Uno modo quasi ab intrinseco ex defectu materiæ, seu causæ conservantis. Secundo, ab extrinseco per actionem contrarii agentis; quæ assertio non est universaliter accipienda, ita ut sensus sit omnem legem esse mutabilem his modis, quia non ita est: aliqua enim esse potest immutabilis, et aliqua potest mutari uno modo, et non alio: solum ergo indefinite dicimus, in lege habere locum illo duos modos mutationis. Et ita declarari potest primo, quia lex se habet ad modum cujusdam accidentis, quatenus est in subditis, vel illos obligat, seu debitores constituit: accidens autem illis duobus modis in generali mutari potest, aut destrui, ut constat ex philosophia: idem ergo erit cum proportionem in lege. Secundo, probatur declarando in particulari utrumque membrum: ratio prioris membri est, quia lex requirit causam quasi materialem, circa quam versetur, et ideo si illa desit, cessabit obligatio legis: ut si omnino subditi desint, cessabit obligatio legis, licet ipsa possit manere in mente legislatoris: sed hæc mutatio nihil ad moralem considerationem refert. Habet etiam lex causam efficientem, et ex hac parte solet effectus desinere, seu mutari per suspensionem influxus, seu non conservationem causæ efficientis; quia vero efficiens causa legis, prout est in subditis, seu extra legislatorem, non est nisi voluntas legislatoris, quæ eadem perseverare censetur, quamdiu contraria non intervenit, ideo mutationem legis ex parte causæ efficientis comprehendimus sub illa, quæ fit per actionem contrariam. Denique habet lex causam finalem, et ex hac parte maxime censetur lex cessare, seu mutari ab intrinseco ex defectu causæ finalis, in qua maxime habet locum illud, *Cessante causa, cesset effectus*, cap. *Cessante* de Appellat. Verumtamen hic modus mutationis maxime habet locum in legibus positivis humanis, quia in naturali non videtur habere

locum, et de divina positiva est res sub controversia, et ideo in singulis melius explicabitur: ratio vero alterius partis est, quia lex accipit suum esse, et vim obligandi per voluntatem legislatoris: ergo per contrariam voluntatem auferri poterit, quia supponimus non deesse potestatem, cum illa sit eadem in legislatore ad utrumque actum, supposita capacitate materiæ, ut magis ex sequentibus declarabitur.

3. *Tertia assertio.*—*Legem posse mutari, vel per ablationem illius, vel per ingressum alterius qui illam extinguat.* — Tertio, dicimus hanc legis mutationem interdum esse posse pure ablativam, seu corruptivam per se; aliquando vero esse posse per modum generationis unius, quæ sit corruptio alterius. Declaratur, quia imprimis, quoties mutatio legis fit per solam mutationem, vel defectum causæ necessariæ ad conservationem ejus, tunc est mera cessatio legis per carentiam obligationis ejus, absque introductione alterius obligationis, sicut corrumpitur lumen per absentiam solis. Deinde etiamsi tollatur lex per voluntatem contrariam legislatoris, qui vult legem cessare, tunc etiam habet locum pura subtractio legis, quia non est necesse aliam introduci ad prioris ablationem. Unde licet in eo dicatur lex tolli per actionem contrariam quasi immanentem, quia voluntas contraria versari potest circa solam privationem, seu ablationem legis, non tamen tollitur per mutationem contrariam quasi transeuntem, sed per mutationem privativam, et ablativam legis: ita ergo satis constat prius membrum. Posterius autem locum habet, quando una lex tollitur per introductionem alterius priori repugnantis, ut si præceptum jejunii tollatur, imponendo præceptum comedendi carnem, aut bis in die. Hic enim mutationis modus locum habet in materia mutabili, et quæ nunc potest esse utilis, et postea nociva: et tunc si præcepta sint contraria, necesse est ut unum excludat aliud, etiamsi id directe non exprimat, quia non possunt simul obligare leges contrariæ, ut per se notum est.

4. *Quarta assertio.*—*Mutationem legis vel posse esse universalem, vel particularem, vel simpliciter, vel secundum quid.* — Quarto, potest hæc mutatio legis esse universalis, vel particularis tantum, seu potest esse mutatio simpliciter, vel secundum quid. Mutatio universalis et simpliciter erit, quando lex in totum et simpliciter tollitur, id est, et respectu omnium, seu totius communitatis quam obligabat, et respectu sui esse, seu durationis, quia simpliciter tollitur, ita ut amplius non

redeat. Posset autem fieri mutatio universalis, non tamen simpliciter, sed ad tempus, si pro aliquo tempore suspendatur obligatio legis, statim reditura illo transacto; et hanc vocamus mutationem secundum quid, quia re vera lex non simpliciter tollitur, quandoquidem transacto illo tempore perseverat sicut antea sine nova editione, vel promulgatione. Particularis autem mutatio fit, quando manente lege quoad universalem obligationem respectu communitatis, auferitur in particulari respectu alicujus personæ, seu partis communitatis, ut fieri solet per dispensationes, aut privilegia: nam, sicut supra diximus, posse interdum ferri legem pro aliqua communitate, excipiendi partem, vel aliqua membra, ex justa causa: ita post latam generaliter legem potest fieri similis exemptio, et tunc dicitur fieri mutatio aliqua particularis in lege.

5. *Varia vocabula quibus legis mutatio universalis significatur.*— Et juxta hanc distinctionem sunt impositæ variæ voces ad hanc legis mutationem significandam, quas oportet breviter præ oculis ponere, ut clarius et expeditius in sequentibus loqui possimus. Quædam igitur verba sunt quæ significant generalem et absolutam mutationem legis; alia quæ tantum significant mutationem secundum quid, vel particularem. Prior significatur præcipue per verbum *abrogandi* legem, tunc enim abrogari lex dicitur, quando totaliter ac simpliciter auferitur. Potest autem hoc fieri variis modis. Unus est per simplicem ablationem legis, quæ potest dici revocatio legis, et interdum vocatur mors legis, ut videbimus infra tractando de lege veteri. Aliud est quando non solum tollitur lex, sed etiam vetatur ejus observatio, et dici potest prohibitio legis, per quam prior lex incipit esse non solum mortua, sed etiam mortifera, ut de lege veteri loquuntur theologi. Differtque hic modus a præcedenti, quia ille consistit solum in ablatione legis et obligationis ejus: hic vero præter illam privationem addit novam legem prohibentem id quod per aliam præcipiebatur.

6. *Irritatio et abrogatio legis idem significat.*— Tertius modus esse potest, quando non solum prohibetur quod prius præcipiebatur, sed etiam contrarium vel impossibile priori præcipitur, ut si prius præcipiebatur studium tali hora, et postea præcipiebatur oratio pro eadem hora: nam hoc plus est quam non præcipere studium, et quam prohibere illud: additur ergo in hoc tertio modo novum præceptum non solum de contradictorio objecto (ut

sic dicam), sed etiam de contrario. Potest autem his duobus ultimis modis abrogatio prioris legis fieri per aliam novam legem contradictoriam, vel contrariam; aliquando vero præcedit pura revocatio, et postea additur nova prohibitio, vel novum contrarium præceptum. Et quando fit priori modo non potest posterior lex fieri, nisi vel ab eodem qui priorem tollit, vel a superiori potestate, quia inferior non potest resistere majori: quando vero fit prohibitio posteriori modo, potest fieri ab inferiori, quia jam supponit ablatam priorem legem, ut in abrogatione legis veteris videre licet, et infra suo loco explicabimus. Denique Soto addidit irritationem legis tanquam distinctam ab abrogatione legis: quia sicut votum irritari potest, ita videtur etiam lex posse irritari. Verumtamen in lege irritatio non videtur distincta ab abrogatione, quia eundem effectum habet, et solum per potestatem jurisdictionis fieri potest. Soto autem vocat simplicem abrogationem, quando fit ab eodem qui legem tulit, vel a successore, qui tanquam idem reputatur. Quando vero ablatio legis fit a superiori, tunc vocat irritationem. Sed hoc solum potest pertinere ad usum vocis, an vero in re sit aliqua differentia, infra circa legem humanam dicemus.

7. *Vocabula quibus mutatio particularis legis significatur.*— *Propria significatio verbi dispensatio.*— Aliæ sunt voces significantes particularem mutationem legis, inter quas prima et magis usitata est dispensatio legis. Circa quam vocem notari imprimis debet origo, et proprietas ejus. Dispensare enim in sua propria impositione, idem est quod distribuere, vel administrare munus aliquod, habens conjunctam rerum necessariorum distributionem: et ita distributio ipsa beneficiorum Dei, quæ pro ratione divinæ providentiæ diversis temporibus fit, dispensatio solet appellari, ut patet ex illo ad Ephes. 1: *Secundum beneplacitum ejus, quod proposuit in eo, in dispensatione plenitudinis temporis instaurare omnia in Christo.* Specialiter autem solet in sacra Scriptura vocari dispensator, qui in domo aliqua ab ejus domino constituitur, ut necessaria familiæ dispenset, juxta illud Luc 12: *Quis putet est fidelis dispensator*, etc. Et ita in veteri Testamento solet nomen dispensatoris temporalis accipi pro illo, qui familiam alicujus temporaliter administrat, ut Genes. 43 et 44, et 3 Reg. 8, et hæc acceptio est valde usitata in jure civili, § *Recte*, Instit. de Mandato, l. *Urbana*, ff. de Verb. significat., et multa de illa erudite congerit Brissonius.